

ILLICEM
ANTI-SYMBOLICVM
ET

OBICEM
ORTHODOXVM,

hoc est,

Depulsionem errorum duodecim, Augu-
stanæ Confessioni cæterisque Libris Symbolicis
falso imputatorum,

ALTDORFI d. 28. Febr. A. O. R. MDCCIII.

Eruditorum ventilationi submittent

PRÆSES

CHRISTOPHORUS Sonntag/
SS. Theol. D. & P. P. primarius, Eccl.
Antistes, & h. t. ordinis sui Decanus.

⊗

RESPONDENS

ERNESTVS FRIDERICVS GERHARD
Stetinensis Pomeranus.

Typis JODOCI GVILIELMI KOHLESII.

18.

Handwritten signature or mark

Coll. diss. A
222, 9

Disput. 222 (9)

ILLICEM
ANTI-SYMBOLICAM

OBICEM
ORTHOXAM

Definition in ortho- und duobus, Augur
Hanc Collectionem...

ALYDORFAS...
M.DCC...




GIURISTORUM...
22...



Syllabus contentorum.

Confessio Augustana cæterique Libri Symbolici ab aliis Ecclesiæ Luthe-
ranæ non ornamenta, sed propudia proclamantur; ab aliis vero scripta
minus necessaria & perniciosa reputantur §. 1. Ab aliis denique omni
divinitatis elogio orbantur. Quoniam sensu Scripta divina possint appellari,
a sacris tamen literis magno differentiæ gradu sequestranda, utpote quorum
usus non authenticus, sed duntaxat testificatorius est §. 2. Neque vero accen-
feri debent Sectariorum institutis §. 3. nec traditionibus, per quas fides dun-
taxat cerebrina generetur §. 4. Magis ædificant pium lectorem, cum in cre-
dendis, tum in agendis, quam libri Mysticorum §. 5. Id quod probatur exem-
plo §. 6. Quoniam sensu dicantur norma normata a B. D. Dannhawero, & B.
D. Königio nostro §. 7. Quod non obligent quidem ad omnes in ipsis circum-
stantias, phrasas, probationes, allegationes tenendas; nec tamen idcirco erro-
res fundamentales & dogmaticos, falsationesve alias contineant §. eod. Quo
consilio struxerimus hunc illicem & obicem, seu, Locorum duodecim Sym-
bolicorum vindicationem ab erroribus falso imputatis §. 8. OBEX I. REPA-
GULUM ILLICIS PRIMI de Prophetis Spiritum S. per Decalogum accipientibus §. 9.
OBEX ILLICIS SECUNDI de tota novitate vitæ nos salvante §. 10. OBEX ILLI-
CIS TERTII de remissione peccatorum & justificatione seorsim junctis, ac præpostere
divulsis §. 11. OBEX ILLICIS QUARTI de justificatione per renovationem descri-
pta §. 12. OBEX ILLICIS QUINTI de Calvinianis, nihil, nisi panem & vinum
in Cœna accipientibus §. 13. OBEX ILLICIS SEXTI de Augustino ab Augustana
Confessione perverse allegato §. 14. OBEX ILLICIS SEPTIMI de Aristotele super
moribus civilibus ita scribente, nihil ut de his requirendum sit amplius §. 15. OBEX
ILLICIS OCTAVI de permutatione increati Angeli cum creato §. 16. OBEX IL-
LICIS NONI de Jobo, omnia sua opera verente §. 17. OBEX ILLICIS DECIMI
de vocabuli Missa originatione a מִסָּח §. 18. OBEX ILLICIS UNDECIMI de
pane quotidiano, ad vitæ temporalis necessitatem ac sustentationem pertinente, pro
quo tamen obtinendo haud sit orandum §. 19. OBEX ILLICIS DUODECIMI de
Ecclesia illa, ubi excommunicatio publica vigeat, reprobata §. 20. Cur de im-
putatione errorum talium minime tacendum sit orthodoxis, Mart. Chemnitii,
Hunnii, Gerhardi, Menzeri, Carpzovii, Dürrii aliorumque plurium, qui ad
imputationes hujusmodi suo itidem tempore non tacuerunt, vestigia præ-
mentibus §. 21. Libertinorum objectioni, toties recoctæ,
ad extremum occurritur ac satisfit
§. 22.



Θεός ! Θεός !

§. I.



Incredibile dictu est, quam sinistris judiciis Augustanam Confessionem & reliquos Libros Symbolicos, singularia Ecclesiae Lutheranae ornamenta, plurimi cum vetustioris, tum recentioris aevi scriptores, tanquam ejusdem propudia forent, exceperint. Licet enim in ipsis comitiis, in quae solennis illa & miraculosa inciderat exhibitio, multa vel ab hostibus veritatis approbarentur, in confessione tradita, quae postmodo Cassander Evangelicus una cum aliis auctiora reddidit; Licet insuper consensum Adversariorum in multis invenirent alia quoque monumenta Lutheranorum Symbolica; Non defuerunt tamen rigidi censores, qui jam de Formula Concordiae strictae sic dicta, jam de integro Concordiae Libro notum istud ex plaustris spargere non dubitarent:

(ER) habet Ausonium liber hic, habet ERQ; Pelasgum (RO)
(RESCH) habet Hebrzum, praetereaue nihil.

Arguta vero & mendacissima de sanctiore Ecclesiae nostratis cimelio poësis. Non pauci praeterea existimarunt, etiam si dogmata Librorum illorum & veritates agnoscerent, satius tamen facturos fuisse Protestantes, si lapidem offendiculi, hoc est, confessiones illas penitus redhibuissent aut omisissent. Ita nempe crediderunt fuisse futurum, ut horrenda dissidia & cruenta bella, quorum fomes ejusmodi polemica scripta extiterint, simul intermitterentur. Sed hi erunt forte, qui vel Symbolo oecumenico, a Patribus Nicenis relicto, parum fa-verint, arbitantes, Arianos feliciter eliminandos fuisse, si ab ejusdem conscriptione aut designatione foret abstentum. Et mirum, nisi supersedere muneri elenctico Ministros jubeant, atque ita haereticos optime refutatum iri contendant. Quid
iniquitas

✿ ✿ ✿

iniquius autem est, obsecro, quam culpam bellorum exortorum in verbi divini veritatem, ejusque professionem & assertionem potius, quam in malitiam hominum transferre?

§. II. Sed & complures ad istud declinarunt extremum, ut, metuentes, ne hæc Ecclesiarum nostratium deposita, hæc pietatis Majorum Heroicæ pignora, hæc tropæa adversus diabolum, fortiter devictum, ac professos veræ religionis hostes erecta, sacris literis æquipararentur (eos nimirum, qui illa prosequerentur veneratione aliqua, nescio cujus apothecæ insimularunt, aut ejectionis minus decoræ ultra axioma, quod competeret, humanum) scriptorum divinorum nomine ea venire ringerentur, cum tamen vel vocatio appelletur divina, quæ mediata est, & Verbo Dei exacte congruit. Quasi vero scriptum aliquod vel privati Autoris, ab erroribus insignioribus, ipsi falso impactis, vindicatum, ob ejusmodi vindicias illico deificatum, aut divinis plane literis æquiparatum censeferi deberet. Imo si Christianus hodie Princeps objectu proprii capitis formulam ejusmodi corroborare sustineret, idololatriæ forsitan accerferetur, aut simplicitatis cujusdam sanctæ, ob humanum aliquod scriptum concipiendo zelum, qui non secundum scientiam foret. Bene novimus discrimen, quod inter principium & principiatum, normam & normatum, hoc est, inter Verbum DEI & Libros Symbolicos sive Normales (*θεωρητικὸς* ita dictos) intercedit. Dignitas Normæ (*ἀυθεντικὸς, ἰδιῶς καὶ ἀπόρως* ita dictæ) non secus, ac Judicis autoritas, non, nisi sacris literis debetur. Usus vero, qui Symbolis Lutherano-
rum competit, ab authentica Scripturæ supereminencia magno differentię gradu sequestrandus, testificatorius duntaxat est in tradendo, explicando ac defendendo doctrinam, quæ tum, cum scriberentur, viguit, orthodoxam, ejusdemque perpetuum ac intemeratum cum Verbo DEI consensum. Sunt igitur non principia quædam authentica; sed criteria saltem eo, quo memoriæ prodebantur, tempore militantis orthodoxiæ, ex puro DEI Verbo de prompta, & de quorum integritate atque autoritate secundaria sinceriores inter Ecclesias abunde convenerat. Conf. *Animadversiones meas in Fanaticismum* p. 25, 26.

6

✿

§. III. Nulla fronte negari potest, diviniore & profus heroico illa doctrinae sanae compendia fuisse consignata spiritu. Ne quid dicam de ipsissimis sacri Codicis verbis, ibidem allegatis, quibus axioma canonicum quilibet cordatus vel metacente vindicabit. Tanto magis incommodum existimo fore, si quis dogmatum horum Symbolicorum, Verbo DEI ad amussim concordantium, vel designationem, vel ingenuam professionem Sectariorum accenseat institutis. Aut enim praecleari Autores & Ministri, qui jussu publico ea posteritati relquerunt, habuere Spiritum DEI; aut non habuere. Si non habuere; probetur itaque hanc ipsorum frigiditas & ineptitudo. Mirum vero, ni ipse quoque Lutherus Spiritus divini expertus fuit. Sin habuere Spiritum DEI, quem Pater caelestis invocantibus certo promissit; nihil ergo in chartam conjecerunt, nisi quod Verbo DEI ex asse putarent consentaneum. Ecqui ergo malum! Sectariorum instituta sequentur, qui Virorum, a Spiritu DEI actorum, vestigiis insistant, qui credenda ab his probata probant, quique agenda ab his monstrata observant? Si enim Prophetiae non sunt contemnendae, & spiritus Prophetarum Prophetis subordinantur; ecqui, fodes, istud Sectariorum fuerit, confiteri talia, qualia, teste conscientia sis convictus, exacte congruere ac respondere Verbo DEI? Esto: aliarum quoque religionum asseclae, ad sua quisque Symbola provocando, nihilofecius allegent conscientiae suae convictionem; grande tamen, inter conscientiam rectam & erroneam, intercedit discrimen. Orthodoxus recta gaudet; heterodoxus erronea. Illius dogmata Symbolica Verbo DEI conveniunt; hujus non item. Dispar igitur utriusque est ratio, non secus, ac hominis videntis, & caeci. In illo notitia salutis simplex (sive pius, sive impius sit, sive regeneratus, sive irregenicus) a DEO nempe revelante ad salutem ejus directa, datur; in hoc autem, quatenus *επισποδοξεί*, non datur.

§. IV. Rem hanc liquidiore dilucidatam exemplo dabo. Gloriosissimi Confessores tot vicibus de SS. Trinitate, de Sacramentis, de fide, de poenitentia, de peccato, de bonis operibus &c. docent. Quicquid autem docent; illud equidem cum sciam Verbo DEI revelato ad amussim convenire; cumque no-
verim.

verim, quo animo, quo zelo, quo periculo id docuerint, malo cum recte sentientibus dicere, quod virtute ex alto induti docuerint, quam cum aliis opinari, Antagonistas, cum veteres, tum recentiores, jam hoc, jam illud in ipsorum doctrina sugillantes, virtute ex alto indutos heroicove spiritu præditos fuisse. Cum igitur DEUS ipse hæc dogmata Verbi sui, in LL. Symbolicis repetita & explicata, per Beatissimos Majores nostros illibata conservavit, ineptum est insubidumque, vel appellare isthæc traditiones Neo-pharisaicas ac Neo-papisticas *(quo certe nomine id solum venit, quod Verbo DEI oppositum aut perversè superadditum est ab hominibus. Hoc autem de LL. Symbolicis, dextre usurpatis, in cassum præsumitur)* vel fidem his consonam, cerebrinam vocare, id promiscue dicendo, quod nihil quicquam, nisi consignatio aliqua Sectaria, aut Sectariorum omnium communis, ibidem tradatur. Esto: Vocetur mortua ista Lutheranorum impiorum fides cerebrina: Talis tamen in Libris catecheticis Symbolisque nostris haud probatur. Esto: Confessio fidei externa sine piis & sanctis motibus internis, jejuna sit, inanis, sterilisque ex parte ejus, qui præter operis operati, ut ajunt, mensuram nihil adæquat: Tamen nec illa DEO placere a nobis asseritur, crediturve. Esto tandem: Multi inveniuntur apud ipsosmet orthodoxos servi, qui voluntatem Domini, prout in Scriptura & Catechismo Librisque Symbolicis extat, perspectam habent; nec eandem tamen expediunt. Ergone orthodoxia Librorum Symbolicorum est causa hujus impietatis? Ergone apud eos, qui orthodoxos impugnant, non inveniuntur tales servi? Non approbant, inquam, Symbola & Systemata Lutheranorum FIDEM IN CEREBRO, prout a nonnullis definitur; nec tamen etiam approbant FIDEM IN CALCANEO, qua ad perversa & Verbo DEI adversa dogmata oberratur (Ecqui enim, obsecro, v. g. veram & a DEO mandatam agere pœnitentiam is potest, qui errores fundamentales circa doctrinam de pœnitentia non abdicat, imo pertinaciter tuetur? Ecqui in Spiritu & veritate orare, qui Verbum DEI, quod est veritas, haudquaquam sequitur?) verum desiderant, postulant efflagitantque FIDEM IN CORDE, quæ, credentem ab omnibus aliis Sectis falsisque religionibus, ad instar lucis, nullam communionem cum tenebris habent.



habentis, disgregans, viva, sana per charitatemque efficax & operosa est. Talem autem in Symbolomastige, octavi præcepti transgressore, inveniri, ecquis, obsecro, credet?

§. V. Ego quidem certe, quoties scriptorem aliquem Mysticum, eumque præfracte heterodoxum, lego, toties ante omnia ex mandato DEI I. Job. IV, 1. humilem coram DEO ac devotam istius spiritus probationem instituo. Animadverto in *πρωτον ψευδος*, quod a regia veritatis via eum abduxit; quodque ille subinde voluntarie ac pertinaciter admittendo, aliud Evangelium prædicat, quam id, quod annunciatum est, adeoque e statu regenitorum hoc ipso excidit; nisi si DEUM causam peccati facere, & Spiritum S. in ipso habitantem & operantem, mendacii autorem fingere sustineamus. Expendo insuper in timore Domini, quot, alias pii ac boni viri, illud *πρωτον ψευδος* negligendo, & incautius Mysticorum lectioni indulgendo, vacando, immorando & pene immoriendo, in nassam eorum fuerint ita pertracti, ut sese non amplius iudices, verum discipulos in eorundem schola profiterentur. Paleas igitur cum primum deprehendo, solcite porro investigo, numquid tritici subsit. Adhibeo unicam normam & regulam, eamque authenticam tum credendorum, tum faciendorum omnium, Verbum DEI. Quicquid huic consonat, illud mihi sapit. Probo omnia; quod bonum est, teneo. Rejicio repudioque scorias; asservo aurum. Si ergo in Mystico aliquo scriptore nonnihil offendere, quod ad exercitium veri Christianismi conducatur, sique, abstracta carnali, quæ erronea est & hypothese fanaticorum inservit, notione, illud ad usum spiritualem & ad praxin credendi agendique accommodare datur; quanto majori fides cum veneratione ea decebit legere scripta, quæ ex asse congruere ad Verbi normam jamdum cognovi, & assidua collatione inita, satis agnovi? Ille idem profecto Spiritus, cujus illuminatione mediata gavisi cimelia hæc nobis reliquerunt augustissimi scriptores, in nobis, ea decenter legentibus, meditantibus, cum Verbo revelato conferentibus & ad scrutinium ejus, a Christo præceptum, unice referentibus, imo & ad sinceræ fidei præque vitæ praxin transferentibus, gratiose operatur. Ut adeo non mere theoretica, non superfunctoria, jejuna

jejuna

jejuna aut sterilis; verum practica, ad usum fidei & vitæ directæ, horum commendetur lectio, perlustratio, nocturna; ac diurna manu facta revolutio. Hoc mihi volo, quod animi dextre formati potiore *τὸ πνεῦμα ὁ ῥοπήν* haudquaquam in Mysticorum, quam Symbolicorum nostrorum Librorum ambitu valeant invenire. *Fallunt igitur & falluntur, quotquot sibi persuasum habent, aut hanc ipsammet orthodoxia culturam impii & perversi hodie Christianismi causam esse, aut τὴν ἐν χειρὶ ἀλήθειαν cum heterodoxia Mysticorum supina in una sede morari posse.* Quid multa vero? Heterodoxi aut agnoscunt religionis Lutheranae veritatem suæque falsitatem; aut non agnoscunt. Si agnoscunt, & profitentur tamen religionem suam heterodoxam, venditantque pro vera; sunt hypocritæ, confessionem oris, ab agnitione cordis diversam, habentes: Sin minus agnoscunt; ecquî, amabo, possunt esse vere illuminati? Certe fidei puritas est fundamentum, cui nisi innitatur vitæ integritas, in tentationibus & agone non potest, quin corruat. Omnis profecto sanctitas omniaque bona opera, quæ fidei falsæ & minus fundatæ superstruuntur, sunt nihil aliud, quam nux sine nucleo, uvæ pressæ sine succo, paleæ sine frumento. Adeo vanum & irritum est, attendere ad facienda, credendis vel ex asse, vel ex parte tantum posthabitis, aut vix sinistro oculo inspectis, imo inversis, læsis atque violatis. Jungantur ergo, non divellantur, tum interna, tum externa Invocatorum DEI officia *Rom. X, 8, 9, 10, 13.*

§. VI. Ita vero sese res habet. Si Aug. Conf. art. VIII. (ut exemplo quodam rem tanti momenti delaratum eam) aper-
tis verbis docet, Donatistas esse damnandos, & similes, ne-
gantes, licere ut ministerio malorum in Ecclesia, aut sentien-
tes, ministerium malorum inutile & inefficax esse; equidem
hic expendens verba Christi (*Quicquid dixerint vobis, facite*)
invenio *τὸ πνεῦμα*; cæterum expendens antithesin Mysticorum
quorundam, invenio *τὴν σάρκα*. De Phariseis & Scribis loqueba-
tur Salvator, non eatenus considerandis, quatenus erant cæci
cæcorum Duces; sic nimirum fermentum eorum cavere po-
tius jusserat; verum eatenus tantummodo, quatenus in ca-
thedra Mosis sedebant, & doctrinam Mosis profitebantur. Vel-
ut igitur de his præcipit: *Quicquid dixerint vobis, facite*: Ita
& de aliis malis Ministris, doctrinam Mosis, Prophetarum &
Aposto-

Apostolorum integram inculcantibus, nobis hoc fert mandatum: *Quicquid dixerint vobis, facite.* Utrum ergo *πανδματικώτερον* sit manere in verbis Christi, faciendo ea, quæ dixerint tales, quos in præfenti arguimus, mali Ministri; an vero, audire Mysticos nonnullos, impotentius contraria svadentes, & ad extremum ipsummet ministerium externum per latus fodicantes, dum vel ipsi scandalose vivunt, vel alios peccatorum frustra accersunt, vel insinuant quoque technis & susurris complures ad sinistre sentiendum de externo ministerio, de ipsoque usu Verbi & Sacramentorum, in nostris Ecclesiis percrebescente, invitant. Sunt profecto hæc non spiritus, sed carnis opera: Sunt mores, sunt consuetudines eorum, qui omne id, quod a carnalibus suis persuasionibus utcunque dissidet, ridicula quadam perveracia illico carnale proclamant. Ille vero, qui sententiam Augustanæ Confessionis, ipsius Christi verbo comprobata, sequitur, in spiritu potius, quam in carne ambulare censendus est.

§. VII. Utique Symbola Ecclesiæ, occasione & quasi violentia hæreseon subnatarum elicitæ, sunt diacritica *των ὁμοια λαλέωντων ἢ ἀνόμοια φρονούντων*, & nomine totius Ecclesiæ (licet a privatis e. g. Hosio qui Niceni autor fuit, primitus composita) postmodo publici juris facta ac approbata. Sic Epistola X. Leonis M. ad Flavianum in Chalcedonensi Concilio columna recte fidei audit, & in Ephesino Cyrilli Anathematisni publicæ autoritatis instar obtinere. Vid. B. Danbar. *Theol. Conscient. part. I. p. 402.* qui idem cum B. D. Königio in *stro C. f. Consc. p. 24.* Catecheses & Symbola appellat NORMAM NORMATAM, comparans eadem cum horologio urbano, quod sit norma actionum in urbe civilium, normatum a *κυκλοφορία* cæli. *Ibid. pag. 258.* Et si igitur admittimus lubentes, quod ibidem asserit *γνήσιος* hic Theologus, symbola fidei non obligare ad omnes in iis circumstantiis, phrases, probationes, allegationes tenendas; ipsam tamen doctrine substantiam tenendam esse, prout scripta est; cui astipulantur non modo Dn. Winklerus, moderatus Hamburgensium Theologus in dem Sendschreiben an Hn. D. Hinckelmann/ oder Anmerkungen über die 40. Lehr-Sätze eines Böhmiſten p. 65. sed

sed & B. D. Pfeifferus Ger. Sache p. 145. § seq. (insuper distin-
 guens inter LL. Symbolicos formaliter & materialiter confide-
 ratos. Formaliter, qua characterem dicendi, ordinem & me-
 thodum tractandi, modum probandi &c. Materialiter, qua
 dogmata ibi comprehensa. Illo sensu autoritatem eorum hu-
 manam, Ecclesiasticam tamen, concedit; hoc autem sensu
 divinam esse affirmat, eo, quod fundamentum autoritatis sit
 exactissimus quoad dogmata omnia & singula cum S. Scriptura
 consensus, & inde proveniens Ecclesiae verae applausus. Ita vel
 pueri apud nos de Catechismo: Der Catechismus ist ein kurz-
 er Inhalt der Christlichen Lehre / welche in H. Schrift /
 das ist / in aller Propheten und Apostel Büchern beschrieben
 stehet. Item: Die H. Schrift ist in dem Catechismo kurz
 verfasset.) Tamen in illis vel formaliter consideratis inveniri
 errores fundamentales & dogmaticos, inveniri crimina falsi,
 inveniri alia quoque paroramata moralia, neutiquam largimur.
 Auf die Buchstaben und Ordnung der Worte sehen wir so genau
 nicht / ajunt Theologi Saxonici in der Haupt-Vertheidigung
 des Augapffe's p. 258. contra Forerum Jesuitam Symbo-
 lomastigem disputantes. Remanet igitur quaestio cum pri-
 mis de eo, num in Libris Symbolicis legantur errores fun-
 damentales & dogmatici, v. g. num error de bonorum ope-
 rum merito, proprie sic dicto, error de tribus N. T. Sacra-
 mentis, specialissime ita vocatis, error de Transubstantiatione
 Pontificia &c, ibidem doceantur & adstruantur.

§. VIII. Sed enim cum adversus eos, qui nihil rectum,
 nisi quod ipsorum moribus conveniat, putantes, pedem extra
 orbem nostrum Symbolicum & CONCORDIAE semitam, inde
 usque a tempore Reformationis tritam, ponere consueverunt,
 anno jamdum MDCXCVI. d. 7. Octobr. Depulsionem sex paro-
 ramatarum, Augustanae Confessionis ejusdemq; Apologiae articulisq; Schmal-
 caldicis vulgo imperatorum, auspice JESU meo ventilarem; neq;
 ita multo post anno MDCXCVIII. d. 9. Nov. in alia quadam
 disquisitione, cui rubricam jussit addere *Judicium Scrip. aere lu-
 culentum super humanis prejudiciis ad Ps. CXIX, 105. Memorialis III,*
 paragraphis quinque, vindicias aliorum quatuor locorum Symboli-
 corum

corum condiderim ; defendens nempe allegationes Apologiæ pag. 114. edit. Lips. ex Jer. XV, 19. pag. 169. ex Ps. CXVIII, 28. pag. 226. ex Ps. XLIV, 13. nec non pag. 125. (ubi *fides* dicitur *obedientia erga Evangelium*) jam pruritu ac titillationi eorum, qui **ILLICEM** subinde **NOVUM** simplicioribus occinunt, **OBICEM** quendam refutatorium parare, ac repagulum quasi figere animus est. Nimirum B. Dürrii nostri aliorumque plurimum laudata vestigia pressurus, libros hos innoxios maculis tam immeritis conspergi non finam; atque adeo Officinæ hujus nostræ cum purioribus intra Germaniam & extra eam ita docebo consensum, ut ad ea, quæ alii, vere Paulinæ pietatis nomine quibusdam invisî, Veritatis orthodoxæ Vindices, quos sospitet Petra & Redemptor meus augeatque indies, hac in causa dicunt scribuntq; meum etiam conferam τὸ ὀρθόδοξον μέτρον, Ecclesiæ sincerioris, quæ vocem Sponsi rite sequitur, iudicio observanter ac modeste subdendum. Vindicamus a falsis interpretationibus ac vanis imputationibus scripta minoris auctoritatis, cum Ecclesiastica, tum politica; cum Christiana, tum profana & Ethnica; ecurr ergo tam caras Ecclesiarum nostrarum tabulas, ex puro DEI Verbo depromptas, indignum plane poppysmum expertas, relinquere indefensas & inexplicatas deceat? Friget alias juvenus, assiduz horum Librorum lectioni vacare iussa; quod si ergo tot sordium aspergine putaverit inquinatos; e manibus, quod dies testatur, eosdem prorsus abjiciet, & lectionem Jacobi Böhmi, aliusve Mystici sibi haud paulo utiliorem fore existimabit, fallor? an æmulatione subinde nonneminem, qui scripta Böhmiانا aureolis plane involucris circumdata voluit & condecorata?

§. IX. PRIMUS ILLEX NOVATORIUS, quem ex anomalium quorundam scholis in medium adducere nunc volupe est, accersitur ex *Articulis Schmalcaldicis part. III. Num. VIII.* ubi Megalander a filiis suis reprehenditur eo, quod scripserit: *Nullus Propheta, sive Elias, sive Eliseus, spiritum sine Decalogo, sine Verbo vocali accepit.* Hic fistula dulce canit, mendam esse apertam; quin eructat φορηκὸν τὸ ἄκρομα, errorem hunc esse fundamentalem, & manifeste repugnantem iis, quæ Paulus Apostolus tradiderit *Gal. II, 2*: Hoc tantum volo discere a vobis, ex operibusne legis accepistis Spiritum,

Spiritum, an ex auditu fidei? Verum enimvero non deest **O B E X REFUTATORIUS**. Nihil utique adversus Paulum hic bonus docuit Lutherus; id quod comparatio verborum utriusque in se reddet evidentissimum. Aliud nimirum est, **NON SINE DECALOGO Spiritum accipere**; aliud **PER OPERA LEGIS Spiritum accipere**. Fac Paulum negare, quod per Decalogum accipiatur Spiritus S. indene sequitur, quod sine Decalogo accipiatur? Aut, si dicitur, quod non sine Decalogo Prophetæ acceperint Spiritum S. indene sequitur, quod per Decalogum acceperint Spiritum Sanctum? Dilucidabo rem exemplo usus quotidiani: Sempronius non sine oculo pecuniam accipit, nec sine pede; indene sequitur, quod per oculum, aut per pedem accipiat pecuniam? Pari infirmitate, ceu dixi, concluditur: Prophetæ non sine Decalogo, five mavis, non sine lege acceperunt Spiritum S. Ergo Prophetæ per Decalogum seu per legem acceperunt Spiritum S. Prius asserit locus ex art. Schmalc. allegatus; non autem posterius. Præterea notandum, Luthero hic sermonem esse de Enthusiastis, qui contendebant jam tum, **DEUM** etiam sine Verbo & Sacramentis nobiscum agere. Huic sententiæ præter alia opponit hoc Theander, quod **DEUS** etiam Mosis voluerit apparere per rubrum ardentem, & per vocale verbum, quodque nullus Prophetæ, five Elias, five Elsäus, Spiritum sine Decalogo seu verbo vocali acceperit. Nempe contra Enthusiastas hoc tueretur Lutherus asseritum: Nunquam agit **DEUS** sine verbo; cumque verbum vel sit Legis, vel Evangelii, semper aut lege terret atque præparat, aut Evangelio consolatur & Spiritum impertit. Nec vero Spiritum impertit, nisi antea per legem cor contriverit. Adeoque Spiritus non datur sine lege; & tamen non datur per legem. Vid. *Dn. D. Fechtii Coll. MStum. in Libros Symbol. cap. I. §. 28.*

§. X. **ALTER ILLEX NOVATORIUS** capessitur ex *Apologia A. C. p. 188.* ubi talis habetur textus: *Cum Christus inquit: Agite pœnitentiam; certe loquitur de tota pœnitentia, de tota novitate vitæ & fructib⁹.* Et pag. 189: *Constat, Scripturam loqui de operibus debitis, de tota novitate vitæ.* Canit hic aviceps, volucrem decepturus, & id, quod ab alio forsitan pirastice tantum fuerat motum, ceu positive asserum

interpretatur, ajens: Daß das ganze neue Leben seelig mache / wie die Apologie saget / ist warlich mehr / als daß die guten Werke nöthig zur Seeligkeit seyn. Sed enim OBEX REFUTATORIUS itidem est præsto. Distinguere debebant censores inter totam novitatem & totum novitatis. Esto: Dixisset Apologia, &, qui hanc approbarunt solenniter, Majores nostri, totam novitatem vite salvare (quod tamen in textibus notatis minus legitur; ut proinde appareat impotens plane & immodica curiositas inquirentium in ævros, ubi nulli sunt) Vocabulum tamen TOTA omnem in lectore cordato scrupulum præcaveret. Argueret enim prima statim fronte, generalissimo sub conceptu novitatem vite sumi, prout totam pœnitentiam, ceu apertis id verbis additur, sicque adeo non renovationem modo, sed & regenerationem & justificationem sub ambitu comprehendit suo: Ut proinde sensus haud incommodus emergat, totam vitæ novitatem, ratione fidei justificantis acceptam, salvare. Ut ut igitur falsa sit propositio: *Novitas vite, qua bona opera spectata, nos salvat*; tamen vera est, si effertur ita: *Novitas vite, qua fidem justificantem considerata, nos salvat*. Quod si iniquius urgeas, hinc non posse non sequi, totam novam vitam etiam qua b. o. salvare; rehero, a tota novitate ad totum novitatis N. V. C. ceu non possum inferre: Totus homo est mortalis. E. totum hominis est mortale. Propositio anterior vera est, si totus homo tanquam subjectum denominationis spectatur; posterior falsa, idque ob partem hominis principalem, animam, quæ non est mortalis. Sic possum affirmare, quod tota pœnitentia nos salvet, videlicet ratione fidei, non contritionis spectata. Et Logicorum certe nonnulli tradunt, quod ea sit prædicatio formalis, cujus prædicatum subjecto, qua tali, vel ex toto, vel ex parte competat.

§. XI. TERTIUS ILLEX *Augustanam Confessionem* hujus insimulat erroris, quod remissio peccatorum & justificatio, tanquam res duæ diversæ, in ea ponantur. Verba in *Art. IV.* sic habentur: *Item docent, quod homines non possint justificari coram DEO propriis viribus, meritis aut operibus; sed gratis justificentur propter Christum per fidem, cum credunt, se in gratiam recipi, & peccata remitti propter Christum.*
Enim-

Enimvero nullo negotio admoveri potest huic Illici OBEX REFUTATORIUS, ac responderi, quod justificatio & peccatorum remissio h. l. non describantur, ut diversa; quandoquidem articulo subsequente sexto itidem conjunguntur, & unum alterius declaratio est, cum scribitur: *Nam remissio peccatorum & justificatio fide apprehenditur.* Haud absimili modo possum dicere: *Aegrotus sanatur dum, cum etiam credit sese curari a Medico.* Nec tamen Sanari & Curari sunt diversa, verum æquipollentia. Proin abunde liquet, Illicem haud dextræ, verum sinistræ interpretationis regulam adh buisse. Eodem revocabitur, quod articulo XX. Aug. Conf. fide in Christum apprehendi gratiam & remissionem peccatorum & justificationem, pag. 17. & pag. 18. opera nostra non posse reconciliare DEUM, aut mereri remissionem peccatorum & gratiam & justificationem, statuitur. Est schema, quod vocatur ἐνδιὰ δύοῖν, quo observato facile, credo, fallacia divisionis expirabit. Gemella ratione ipsa Scriptura unam & eandem actionem DEI, nempe justificationem triplici describit phraseologia in eodem contextu Ps. XXXII, 12. Rom. IV, 7, 8. Vocat nempe peccatorum remissionem, oblationem, non-imputationem. Tres phrases, ait B. Daanbar. Ho. of. p. m. 907. ad describendum sanctissimum justificationis actum David adhibet, duas Metaphoricas, unam propriam,

§. XII. QUARTVS ILLEX pertendit, articulo Schmalcald. parte III. num. XIII. ipsammet justificationem per renovationem describi. Verba sunt hujusmodi: *Hanc fidem, renovationem & remissionem peccatorum sequuntur bona opera.* Et paulo ante: *Quod de justificatione hæctenus semper & assidue docui, mutare nec in minimo possum, videlicet, nos per fidem (ut Petrus loquitur) aliud novum & mundum cor acquirere, & DEUM propter Christum Mediatorem nostrum nos justos & sanctos reputare.* Verum OBEX huic Illici talis opponetur, eidemque satisfiet, si notabitur, quod in his & aliis periochis Symbolicis justificatio per renovationem non describatur, sed cum renovatione conjungatur. Etsi enim justificatio ordine naturæ prior est renovatione; tamen tempore simul sunt, & in praxi ad unum redeunt momentum. Ecquid igitur, amabo, mirum est, doceri, quod fidem, renovationem & remissionem peccatorum sequantur bona opera? Præterea ipse renovationis terminus interdum in tanta accipitur latitudine, ut regenerationem quoque & justificationem ambitu complectatur

tur



tur suo. *Quam B. Königii Theol. acroam. p. 204. observationem si audimus, etiam ita commode interpretari possumus anteriorem locum, ut renovationem & remissionem peccatorum eatenus pro Synonymis agnoscamus. In posteriore autem loco justificatio describitur subjective, non formaliter; hoc est, subjectum justificatum denotatur, quod simul renovatum est, ita quidem certe, ut momentum regenerationis, justificationis & renovationis idem omnino sit, & hæc apotelesmata omnia simul & in instanti fiant König. l. c. pag. 202. Ad hanc temporis simultatem, ut didactice loquar, & subjecti identitatem respiciendo, mirum denuo non est, si Lutherus docuit, nos per fidem aliud novum & mundum cor acquirere, & DEUM propter Christum Mediatorem nostrum nos justos & sanctos reputare. Sed & mundationem cordis per fidem, quam Petrus Actor. XV, 9. docet, B. Gerhardus noster L. de Justif. per fidem §. 180. utroque modo, primo imputative, deinde etiam inchoative fieri censet, addita hac ratione, quod cum fide perpetuo nexu conjuncta sit donatio Spiritus Sancti. Qui enim per fidem ex DEO nati sunt, illis datur Spiritus adoptionis, qui incipit naturam eorum renovare, carnem peccatricem domare, & veterem Adamum mortificare. Junge sis D. F. cht. l. c. §. 30.*

§. XIII. QUINTVS ILLEX depromitur ex *Formula Concordie* stricte sic dicta, ejusque *Declaratione solida*, cui pag. 734. insertus legitur Lutheri locus ex *Tom. Wit. Germ. II. fol. 245*: *Hi (Sacramentarii) dubio procul nil nisi panem & vinum in Cœna habent, quia neque verba, neque institutionem Domini habent, sed ea ad suam falsam opinionem inflexerunt, mutarunt & depravarunt. Annumeratur & hæc declaratio erroribus fundamentalibus, quibus inquinatus sit ille Mart. Chemnitii & reliquorum Patrum Bergensium, ab Ecclesiis plerisque Lutheranis subscriptus, & a plerisque Statibus Protestantium aut unanimiter receptus, aut ratificatione subsequuta comprobatus, liber. Et multi certe multa super hoc zetemate num Reformati verum Sacramentum Cœnæ, ipsamque adeo rem cœlestem, accipiant, disquisiverunt. Nostri instituti ratio id saltem nunc postulat, ut criminationi novelæ, & infimulationi erroris legitimus ponatur OBEX: quandoquidem Megalander de Sacramentariis ita videtur in loco allegato sensisse & statuisse, uti tum temporis propria illorum ipsorum ferebat opinio.*

opinio. Quænam illa? *Epitome Formulae Conc. art. VII. p. 598.*
 opinionem hanc ostendit: quod videlicet in Cœna Domini nihil amplius,
 quam panis & vinum sint præsentia, ibique distribuuntur & ore percipiuntur.
 Id quod crassi quidem admodum Sacramentarii perspicuis & cla-
 ris verbis aperte profitebantur: versuti autem & callidi, iidemq;
 nocentissimi, præsentiam & manducationem spiritualem, quæ
 fiat fide, profitendo, sub his splendidis verbis eandem crassam,
 quam priores habebant, opinionem occultabant & retinebant;
 quod videlicet præter panem & vinum nihil amplius in Cœna Domini sit præ-
 sens, & ore sumatur. Quibus observatis ex ipso Libro Symbolico
 de Libro Symbolico commodissima feretur sententia. Ceu jam
 innui: Megalander de Sacramentariis, qua talibus, juxta
 propriam hypothefin, & juxta erroris sui professionem confide-
 ratis, statuit, quod videlicet juxta suam ipsorum mentem nil
 nisi panem & vinum in Cœna habeant. Quo ipso nihil sini-
 stre aut præpostere de ipsis statuit, nedum errorem erravit fun-
 damentalem. Proin ne ipsis quidem crassioribus Sacramen-
 tariis invitis (utpote qui existimabant, tantundem abesse Cor-
 pus & Sanginem Domini a pane & vino Cœnæ, quantum su-
 premum cœlum abest ab infima terra) hoc ita tradidisse Lu-
 therum, censetor. Cæterum num Calviniani accipiant verum
 Cœnæ Sacramentum, id explicatum vide præter alios com-
 plures a D. Hutzero *renic. c. 28. art. 16. p. 115.* D. Balduino C. C. p.
 343. & D. Pfeiffero in *act. rei amote contra Pap. pag. 220. § seq.*

§. XIV. SEXTUS ILLEX urget dissidium Augustini ab
Augustana Confessione qua doctrinam de justificatione: ut adeo
 in articulo *Augustanæ Confessionis XX. liber Augustini de spiritu &*
litera perperam & plane contra mentem Antistitis Hipponen-
 sis allegetur, & nonnemo totius libri a Confessione allegante
 disensum commonstrarit. Verum & hunc illicem oppido fa-
 cilis præcludet OBEX. Neque enim reperio, quali, vel La-
 tino, vel Germanico, gavisus sit exemplari censor iste, cui
 hoc dubium ciere placuit. In Lipsiensi quidem editione de anno
 1602. eademque frequentius citata, articulus XX. Augustanæ
 Confessionis bis laudat Augustinum, pag. 17. & 18. diciturque
 ibidem, Augustinum multis voluminibus defendere gratiam & justitiam fidei
 contra merita operum: Et rursus, Augustinum docere, in Scripturis nomen fi-
 dei accipi non pro notitia, qualis sit in impiis, sed pro fiducia, quæ consoletur & erigat
 perter-



per terras abbas mentes. Neuter horum locorum allegat tritum illius Patris de spiritu & litera libellum. Quin prior ad multa potius ejusdem volumina manifeste provocat. Et cui sodes magis, quam Augustino, cum de gratia justificante adversum Pelagianos, gratiae hostes, disputat, cum Augustana Confessione & Libro Concordiae conveniat? Comparationem certe conjunctionemque fidei & bonorum operum instituunt in Articulo jamjam nominato **Confessores gloriosissimi, quorum aureola de fide tam justificante, quam renovante sic extant verba: Præterea dicunt nostri, quod necesse sit bona opera facere, non ut confidamus per ea gratiam mereri, sed propter voluntatem DEI. Tantum fide apprehenditur remissio peccatorum ac gratia. Et quia per fidem accipitur Spiritus S. jam corda renovantur, & induunt novos affectus, ut parere bona opera possint. Sic enim Ambrosius: Fides bonæ voluntatis & justæ actionis genitrix est.** Conferatur nunc Augustinianus de spiritu & litera libellus, cujus scopus est fidem renovantem non a litera legis, verum a spiritu sive Evangelio deducere; & harmonia ejusdem cum Augustana Confessione non erit amplius obscura. Inter alia legatur caput IX. quod ita clauditur: Non itaque justificati per legem, non justificati per propriam voluntatem, sed justificati gratis, per gratiam ipsius, non quod sine voluntate nostra fiat; sed voluntas ostenditur infirma per legem, ut sanet gratia voluntatem, & sana voluntas impleat legem, non constituta sub lege, nec indigens lege. **Addatur insequens proxime caput X. ubi ejusmodi inculcatur atq; interferitur doctrina, quod sic legitime utantur lege jam justi, ut, cum & in ipsis cœperit inolitæ concupiscentiæ morbus incentivo prohibitionis & cumulo prævaricationis augeri, confugiant per fidem ad justificantem gratiam, & per donum spiritus, sicutitate justitiæ delectati, pœnam literæ minantis evadant.** Estne ergo hoc Augustinianum dogma ab Augustana Confessione diversum? Junge sis ea, quæ de gratia justificante Pelagianis opposuit idem augustus Ecclesiæ Pater *l. b. cit. capitibus III. IV. & seq. nec non Ep. XLVII. ad Valentinum, & Epist. CV. ad Sixtum Presbyterum.*

§. XV. Verum enimvero nondum satis est assaniarum, & coccysmorumque Anti-Symbolicorum. Auditur nempe **SEPTIMUS ILLEX**; & nescio quid inconditi scripsisse perhibetur *Apologeta Aug. Conf. quando pag. 62. ita scripsit: Aristoteles de moribus civilibus (in Ethicis) adeo scripsit crudite, nihil ut de his requirendum sit amplius. Lenticulam in unguento vel hic potuisse anquiri, ecquis, malum! existimaret?* D. Justus Jonas in Germanico
 sic

sic reddidit : Vom eufferlichen erbaren Leben wird nicht leicht
 jemandſ besser schreiben / denn Aristoteles. Veritati hoc minus
 esse consentaneum, inde arguitur, quod Lutherus alibi judi-
 carit, Aristotelis Ethica ad Nicomachum nullis non libris de-
 terrimis esse deteriora, esse gratiæ DEI & virtutibus Christia-
 nis e diametro opposita : tantum abest, ut de rebus civilibus
 cœcus aliquis Ethnicus adeo erudite scripserit, nihil ut de his
 requirendum sit amplius ; ut Prophetarum, Apostolorum,
 aut Christianorum Doctorem monumenta haud paulo amus-
 sitatius doctrinam de vita civili tradidisse debeant censerī.
 Sane piget fere Illici tam insubido & incompto ponere OBI-
 CEM. Quilibet nimirum iudicio pollens, vel me tacente,
 intelligit, inani hac verborum captatione tetrum per fallaciam
 a τὸ κατὰ π ad τὸ ἀπλῶς admitti paralogismum. Apologia de
 scripto Nicomachico id pronuntiavit comparate, & in habitu-
 dine ad reliqua Ethicorum Ethnicorum documenta. Censor
 autem hoc ipsum rapuit ad sensum absolutum ; ac proinde cum
 proprii ingenii larvis decertat. Verum est, hunc librum esse
 deterrimum, si decempeda Theologiæ moralis eum velis me-
 tiri ; aut si eundem cum nonnullis ipsi Verbo DEI æquipara-
 ris, imo antetuleris. Doctrinam quippe de gratia DEI & vir-
 tutibus Christianis, qua talibus, inde mirum quam præpo-
 stere hauries. Proin cum Apologia testatur, Aristotelem eru-
 dite scripsisse, de eruditione duntaxat profana, neutiquam Chri-
 stiana id debet accipi. Virtutes quippe Aristoteles in foro Chri-
 stiano ac Theologico esse rejectaneas, & officia Ethnicorum
 moralia ac bona opera Verbo DEI minus congruere, per omnia
 & singula quatuor causarum genera demonstrari potest. Deest
 enim his causa efficiens, nempe Spiritus S. quo minus opera
 vere bona ac DEO placentia dici mereantur. Unde non fru-
 ctus spiritus, sed saltem φρονήματα σαρκὸς & opera carnis appel-
 lari queunt. Deest causa materialis operum vere bonorum.
 Subiectum quippe regnitum, in quod opera vere bona ca-
 dunt, quodque denominant, nullus est Ethnicus. Deest cau-
 sa formalis, nempe fides, entelechia & vivida, ut sic loquar,
 actuatricis operum vere bonorum. Deest finalis, puta testimo-
 nium fidei coram aliis edendum ; quod minime intendunt at-

tenduntve gentiles. Sed ad hanc morum civilium considerationem innocens ne sinistro quidem oculo respexerat Apologeta; verum illam in sua reliquerat sphaera, eo, quod Stagirita ex mero naturæ lumine illos inter Ethnicos Ethnice, inter eruditos erudite, & in hoc quidem genere perfecte, imo quam optime, designasset.

§. XVI. OCTAVUS ILLEX *Apologiam* toties impugnatam impugnat, eidemque occidit denuo, quod contra mentem Spiritus S. allegarit p. 224. locum *Zachariae I.* ubi Angelus orat: *Domine exercituum, usque quo tu non misereberis Jerusalem &c.* Evidens nonnulli Catones hoc arbitrantur esse parorama, quo Angelus increatus confundatur cum creato: siquidem contextus Prophecticus illum nobis exhibeat, ipsummet nempe Filium DEI, hic orantem & loquentem; *Apologeta* vero in gravi adversum Pontificios controversia ἀγγελολατρικῆ de Angelis creatis adducat locum. Præterea, inquit, & hic largimur, quod Angeli orent pro nobis. Mallem omnino, non tam ruditer & crude hæc contra mentem Spiritus S. facta diceretur allegatio; neque viderentur hic sibi aliquid scire filii, quod Patres ignoraverint. In sacris enim & profanis scriptis (reponit Orthodoxorum OBEX) gemina allegandi consuetudo obtinet, quam nemo, sana ratione utens, qui aliorum dicta aut scripta fideliter interpretari noverit, inficiari potest. Alia fit ὁμολογημένως per sententiam; alia δοξαστικῶς & per indulgentiam. Illa secundum veritatem, hæc ad hominem talis est. Illa absoluta; hæc analogica & comparata. Illa menti loquentis aut scribentis absolute & secundum veritatem congruit; hæc saltem comparate, conditionate, analogice & κατ' ἀνθρώπον, ex concessione videlicet propriaque ipsius adversarii interpretatione, utpote contra quam supponitur ipsum nihil excepturum esse. Fallaciam proinde a dicto secundum quid aperte committit, & iniquior est alicujus dicti aut scripti censor, qui ab allegatione κατ' ἀνθρώπον, ad allegationem κατ' ἀλήθειαν promiscue argutatur. Crisis hæc supina est, & mala instituitur fide, affingens aliquid Scriptori, de quo ne cogitavit quidem; & dum sensum dictorum e causis dicendi aliisque circumstantiis, cognitu & consideratu necessariis, minime eruit, suo vapulat merito. Unde fit, ut maculam ignorantiz, quam ab aliis abstergi

stergū

Meriti & res, & æquitas postulabant, nobismet ipsis affricemus. Quod itaque B. Scherzerus respondet *System. p. 11.* ad allegationem Paulinam *Hebr. XI, 21.* ubi cum LXX. Interpretibus ad SCEPTRUM Josephi sese incurvasse legitur Jacobus Patriarcha, qui tamen, codice authenticò testante *Gen. XLVII, v. ult.* in LECTO sese inclinaverat; subintelligendum videlicet esse: *Sicut Vestra Bibliorum versio habet: Idem illud hic quoque invenit locum; ut proinde verba sic capienda veniant: Extat testimonium Zach. I. ubi Angelus (juxta vulgarem, eamque Vobismet ipsis probatam explicationem) CREATUS orat: Domine &c. Velut igitur allegatio hujusmodi καὶ ἀνδραπόδων allegationem καὶ ἀλλήθειας* haud excludit, verum præsupponit magis, ceu alleganti non ignotam: Ita eadem contra mentem Spiritus S. facta frustra existimatur.

§. XVII. NONUM ILLICEM sese haud abs re invenisse arbitrantur illi, quos ab Adversariis quasi mercede conductos ad hoc dixeris, ut LL. Symbolicis dicam scribant, in Apologia toties vellicata pag. 130. ubi allegatur locus Jobæus ex cap. IX, 28. *Vrebar omnia opera mea.* Allegatur, inquam, pro tuendo, in verbis antecedentibus proposito, dogmate, quod *misericordia indigeamus etiam in bonis operibus.* Minus commode, prout illis videtur: quandoquidem יגרתִי כל-עצבותי rectius a B. Luthero vertatur: Ich fürchte alle meine Schmerzen; puta, ne redeant, daß sie nicht wiederkommen / und mich ärger / als zuvor quälten. Aliud ergo sunt dolores; aliud opera. Vid. B. Olear. in *Job. p. 151.* At bene habet. OBEX anterioris Illicis etiam huc quadrat. Iniquius profecto est, allegationem analogam & comparativam interpretari pro absoluta. Unde enim probabitur, quod ignorarit Melanchthon significationem Hebrææ vocis עצבות; aut, si eam habuit cognitam (habuit autem sine ulla dubitatione) quod de industria hic violare codicis Hebræi fidem voluerit allegando; aut si ille voluerit, quod etiam reliqui ætatis illius Theologi, quorum suffragio Apologia scriptum aliquod Ecclesiasticum evasit, eandem obtinuerint mentem? Minus profecto legitima hic agitur censura, contradictionem ibi fingens, ubi diversitas respectus est oppido

pido manifesta. Itane ergo crimen falsi admittet, aut obelisco
 dignam proferet allegationem, si quis cum versione & scho-
 lio Lutheri vocabulum **תַּבְּרַח** de doloribus illis, quibus DEUS
 Jobum tanquam nocentissimum pessimumque hominem tra-
 ctarit, quosque timuerit, exponet, attendendo videlicet ad tex-
 tum authenticum; & tamen cum eodem *Luthero Tom. I. Jen.
 Lat. fol. 2. b. Comm. in Ps. I. phrasin Jobzani omnia opera sua
 vereri explicabit ita, ut nihil aliud sit, quam in sua justitia non con-
 fidere, & sanctitatem suam pro stercore ducere; ideo non posse pro
 ea certare, se justificare, aut vindicare, se dignum esse omnium odio
 & vindicta.* Huc nihilofecius tendit allegatio Apologiz: qua-
 lem insuper attulit Apologeta *Loc. p. 758. in Normal. Norib. Conf.
 B. D. Mengerling Scrutin. conscient. p. 44. & seq.* Idem fecisse de-
 prehendimus B. D. Gerhardum. Allegaverat ille contra Bellar-
 minum aliosque Pontificios hoc dictum in gravi controversia,
 quod renatis impletio legis haud sit possibilis *L. de Lege §. 184.*
 & ad versionem provocaverat vulgatam; de cujus autoritate
 quid sentirent Pontificii, vulgatum erat. Idem tamen Ger-
 hardus, cum Bellarminus hoc dictum ad dogma dubitationis
 stabiliendum torfisset (ratus, Jobum de gratia DEI & justifi-
 catione sua dubitasse, cum fateretur, sese omnia sua opera vereri)
L. de Justif. §. 98. ad textum Hebræum provocat; & ex eodem ali-
 ud evincit. Quorsum hæc? Ut pateat, Lutherum & Gerhardum
 gemina hujus dicti allegatione, nimirum una *καὶ ἀλήθειαν*, al-
 tera *καὶ ἀνθρώπων* tali, fuisse defunctos. Ecceur itaq; Liber Ecclesia-
 sticus poppismo stringitur & præter rem castigatur ob alterutram,
 quam materiæ Antipapisticæ voluit intersertam, allegationem?
 Instas *a*) hoc pacto excusari quidem, non autem justificari
 errorem. Ego vero id regero, neque excusari, neque justi-
 ficari errorem, ubi nullus error est; sed talem potius allega-
 tionem, qualis vere ex mente allegantium erat, vindicari ac
 defendi. Instas *β*) Theologos id temporis Lutheranos Pon-
 tificiis tantopere haud favisse, ut vel eatenus his suffragari &
 versionem eorum vulgatam præ textu authenticum allegare ac
 laudare sustinerent. Ego vero id respondeo censuram isthanc
 tuam in eo peccare, quod suffragium hypotheticum cum ab-
 soluto confundat, ceu hæctenus evictum. Instas *γ*) aut
 æquivo-

æquivocationes hujusmodi vitari, aut eorundem evolutionem & explicationem expresse apponi debuisse. Ego vero id denuo dico, frustra fingi æquivocationem, ubi nulla est. Ecqui enim probabitur, Vulgatum per opera & actiones, quas Jobum vereri putat, passiones Jobi dolorificas intellexisse?

§. XVIII. Præsto est nunc DECIMUS & auditur ILLEX, Apologiam apologia indignam proclamans, eo, quod vel Grammaticum exhibeat nævum p. 271. & etymologiam vocabuli MISSA, quam assignarunt Pontificii a מִזְבֵּחַ, repudiando idem egerit, quod in aliis improbarat, & propria redarguatur culpa. Verba notata sunt hæc: *Missam fingunt* (Pontificii, autumantes illam esse sacrificium) *dictam ab altari מִזְבֵּחַ*. Quorsum opus erat tam procul accersere etymologiam, nisi volebant ostentare scientiam Ebraicæ lingue? Quorsum opus est procul quærere etymologiam? cum extet nomen *Missæ* Deut. XVI, 10. ubi significat collationes sive munera populi, non oblationem Sacerdotis. Debebant enim singuli venientes ad celebrationem Paschæ aliquod munus, quasi symbolam, afferre. Hunc morem initio retinuerunt & Christiani. Convenienter afferebant panes, vinum, & alia, ut testantur *Canones Apostolorum*. Inde sumebatur pars, quæ consecraretur: reliquum distribuebatur pauperibus. Cum hoc more retinuerunt & nomen collationum, *Missæ*. OBEX huic Illici figetur, anteriori pene similis. Ad hominem quippe etymologia opponitur etymologiæ; non secundum veritatem. Conditionate, non absolute posterior priori antefertur originatio. Conditionate, inquam; sive, sub hypothese illa, si ex Hebræo procedendum foret. Vid. Dn. D. Schelgvig. *Synopsis pag. 62*. Ecquis enim, Ebræis auribus præditus, vocabulum MISSA non deduci credat aptius ex מִזְבֵּחַ, h. e. collatio, & quidem מִזְבֵּחַ seu spontanea, qualis Deut. XVI, 10. denominatur, quam ex מִזְבֵּחַ altare? Posteaquam vero Antagonistæ tam confidenter urserant significationem sacrificandi in vocabulo MISSA, probatum euntes etiam ex Hebræa lingua, Missam esse sacrificium; ecce! noster Apologeta ex conditione, ab ipsismet Antagonistis præsupposita, infert: Si ex Hebræo igitur derivandum fuerit, quod Antagonistæ pro certo habent, vocabulum MISSA; convenientius derivabitur a nomine מִזְבֵּחַ collatio, quam a nomine מִזְבֵּחַ, altare; adeoque potius collationem munerum aut tributorum, quam oblationem sacrificiorum in altari denotabit. *Kimchi in Lib. Rad. ad מִזְבֵּחַ retulit hoc nomen, idque cum voce*

מִזְבֵּחַ

DD tributum conjungens per 7 sufficientiam ivit expositum. Coccejus in Lex. p. m. 444. per indictionem exprimere maluit. Extra hunc Disputationis hypotheticæ ac metalepticæ casum verissimum est, quod cum ignarissimis fere nemo nescit, vocem MISSA Latinam esse, primitus ex Latio formatam atque mutuam. Schindl. in Pentaglott. p. 1020.

§.XIX. UNDECIMUS ILLEX ne Catechismis quidē Lutheri, Laicorū Bibliis, parcat, dum, lenticulā in unguento quaritantes, n utroq; carpunt solitam petitionis quartæ in Orat. Dominica expositionem. Neque enim panis quotidianus ille, pro quo sit orandum, his videtur significare tantum id *omne, quod ad vitæ nostræ necessitatem ac sustentationem pertinet*, seu mavis, cum Catechismo majori loquar; non videtur id sibi velle quarta isthæc petitio, ut hoc loco *χοῖνικον καὶ καρδίας memores simus, b. e. victus nostri, alendo corpori & temporali vitæ sustentandæ necessariū*; verum *ἄρτος ἐπι- σσιος* ipsis est etiam *ἐπι- σσιος*, supersubstantialis, est cibus animæ, est nutrimentum supernaturale; quod cum uterque Catechismus Lutheri omiserit in explicatione hujus quartæ petitionis, mereri spongiam ipsis omnino videbatur. Hieronymus quidem certe Tom. IX. op. fol. 10. b. *ἄρτον ἐπι- σσιον* panem supersubstantialem reddidit, monens, LXX. interpretes *ἐπι- σσιον* frequentissime translulisse; & allegans panem vivum, qui de cælo descendit Job. VI. Sed & Megalander ipse Tom. I. Jen. Germ. fol. 80. a. eundem panem de supersubstantiali & spiritali pane verbi divini explicat. Verum antiquior suo nobis merito esse debet Orthodoxorum, ac de Luthero sincerius judicantium, OBEX. Non manca aut mutila; sed plena & perfecta est ea, quam Catechismi Lutheri exhibent, panis quotidiani interpretatio. Spirituales quippe panis in antegressis jamdum petitionibus, maxime prima & secunda, fuerat a nobis petitus; in hac igitur quarta panem, alendo corpori & sustentandæ vitæ necessarium, exoramus, posteaquam in tertia voluntatem nostram divinæ submisimus. Falso itaque supponunt Impietistæ, panem terrenum esse *σύνταλον*, pro quo orandum haud sit. Hieronymus autem, qui *ἄρτον ἐπι- σσιον* per supersubstantialem panem h. l. expressit, deserendus est. Quandoquidem, si ab *ἐπί* deduceretur vox ista, juxta receptiorem compositionis analogiam dicendum

cendum

endum foret ἐπιείκειον magis, quam ἐπιείκεια; veluti ἐπιεικώδης dicitur, non ἐπιεικός, iudice Erasmo Schmidio Annot. ad N. T. p. 119. Rectius itaque derivatur ab ἐπιών; quod participium verbi ἐπιμι, succedo, sequor, foemininum habet ἐπιέουσα. Sic Act. XXIII, 11. Τῇ ἐπιέουσῃ νυκτὶ, sequenti nocte. VII, 27. Τῇ ἐπιέουσῃ ἡμέρᾳ, die sequente. Estque adeo ἄρτος ἐπιείκειον panis succedaneus, quotidianus, singulis diebus definitus; panis non tantum hodie, sed & sequenti tempore necessarius. Heinsius appellat continuum panem, qui πρὸς ἐπιέουσαν ἡμέραν necessarius sit; apud B. Carpzov. Isagog. ad Lib. Symbol. pag. 1058. quique nobis a DEO continue detur, quamdiu hic vivimus. Proinde audit apud

Syrum *ⲁⲓⲓⲟⲩ? ⲙⲉⲛⲁⲛ*, panis necessitatis nostrae, ver-tente B. Dilberro nostro Eclog. pag. 38. Etsi enim haud debe-mus ex diffidentia solliciti esse in crastinum; haud tamen orare ex confidentia pro crastino vetamur. Quod fecit David Ps. LXXI, 8, 17. Domine, inquit, in senecta & canitie mea ne dere-linques me, adeoque gratiam divinam & qua spiritualia, & qua temporalia omnino in crastinum & futurum etiam sibi expe-tens. Quod Agur nihilominus fecisse putandus est, cum cibo statuti sui avet pasci ac nutriri Prov. XXX, 8. utique non ad diem, modo praesentem, cui sufficientem victum sine ulla dubita-tione habuit, verum etiam ad succedentem & sequentem diem illud demensum sibi exposcens. Pulcherrime Augustinus lib. X. Confess. cap. 31, num. 1. Petimus ea, quibus reficiamus quoti-dianas ruinas corporis edendo & bibendo, priusquam escam & ventrem destruat DEUS, cum occidet indigentiam nostram satietate mirifica, & corruptibile hoc induet incorruptione sempiterna. Quod denique ad Megalandrum Lutherum attinet; non certe fuit is, qui cogitationes suas posteriores anterioribus sapientiores fuisse diffiteretur, ceu eodem Tom. I. Jen. Germ. fol. 2. b. legitur ipsius obtestatio, qua per D. N. J. C. Lectores rogat, ut anteriores suos libros *ὑπερχόντως & συμπαιδικῶς* pervolvere ac perlustrare velint.

§. XX. Restat ILLEX DUODECIMUS, quo Formula Concordiae, strictè sic dicta, sigillatur, eo quod in articulo duodecimo erroribus Schwenckfeldianorum cæteris hoc quo-

D

que

que annumerare & accensere non dubitarit assertum, quod non sit vera Ecclesia Christi, in qua non vigeat publica excommunicatio, & solennis aliquis excommunicationis modus, seu, ut vulgo dicitur, processus ordinarius: da doch (ajunt) die F. C. und andere Theologi es selbst an derswo gestehen / daß / wo eine Christliche Kirche sey / auch das Schlüssel-Amt nach der Ordnung Christi müsse offenbarlich gehalten werden; und sey das keine Apostolische / sondern Apostatische Kirche / wo es am rechten Gebrauch der Kirchen-Schüssel ermangele. At enimvero ne hic quidem rectius animatos desinit OBEX, qui redhibeat Censuram *ἀνεπίστατον*, non ille quidem vel excusando, vel justificando errori (quippe ubi nullus error est) sed vindicandæ potius ac tuendæ veritati adaptandus. Undenam igitur probabitur, verbis allegatis excommunicationem simpliciter rejici? Aut quonam, amabo, jure præsumptio hæc enascetur adversum illos, qui in ipsomet præfamine & frontispicio dogmata sua Confessioni Augustanæ & ipsius Apologiz congrua pronunciarant, cum autoritas excommunicandi Ministris Verbi & Sacramentorum p. 294. in terminis legatur addicta? Quandoquidem igitur expresse mentem suam declarant B. Chemnitius alique Theologi Bergenses, addendo: ET SOLENNIS ALIQUIS EXCOMMUNICATIONIS MODUS, SEU, UT VULGO DICITUR, PROCESSUS ORDINARIUS; mirum est, eos ne sic quidem immunes esse potuisse a *ἄδελφικῆς*, aut in eam ad summum devenisse suspicionem, quasi ipsammet excommunicationem rejecerint. In modo nimirum excommunicandi peccasse Schwenkfeldium una cum asseclis, inter alia vel inde constat, quod sanctuli istiusmodi negarint, eam esse veram & Christianam Ecclesiam, in qua aliqui adhuc peccatores reperiantur; ceu F. C. pag. 624. de Anabaptistis, eisdem pene tibias cum Casparo isto, Nobili de Ossing, infantibus, eidemque succenturiantibus, monet; quodque statuerint, eum Ecclesiz Ministrum alios homines cum fructu docere, aut vera Sacramenta dispensare non posse, qui ipse non sit vere renovatus, renatus & vere justus: ceu additur num. seq. VIII. ut adeo excommunicationum præcipitatarum, illegitimarum, & Salva-

Salva-

Salvatori ; zizania usque ad diem messis ctescere permittenti ; adversantium, nullus apud ipsos fuerit modus ; utque intempestivus quidam Separatismus illam excommunicandi pruriginem non potuerit non sequi. Ad hanc ergo Schwenkfeldianorum hypothesein (quod Ecclesia, per Lutherum ab erroribus Papisticis reformata, nondum sit vera Ecclesia, idque propterea, quia apud plurimos emendatio vitæ nondum sequatur ; ut proinde publica & solenni aliqua, per ordinarium processum instituenda, excommunicatione impiorum omnium hæc Lutheranæ Ecclesia indigeat) Autores F. C. respexisse, dubium non est. Confer Autores apud Dn. Stockmannum laudatos *Elucid.* p. 379. & seq. ubi assertionibus Excommunicatoris hujus rigidissimi, Schwenkfeldii, ea quoque interferitur, qua docuerit, se nondum habere Ecclesiam ; sed cœtus, in quibus de doctrina conferat cum suis & oret : satis vero revelata doctrina, Ecclesiam quoque secuturam esse.

§. XXI. Hactenus duodecim Illices, ac totidem Obices protenduntur. Judicet nunc pius Lector, an non CONCORDIAM LUTHERANAM is violet, qui LIBRUM CONCORDIÆ, a Luthero cæterisque Confessoribus relictum, tantopere temeratur ac perstringit. Neque enim facere cum illis lubet, qui, si vel maxime in luculenta Ecclesiæ facie plus vice simplici hujusmodi criminationes Librorum Normalium ac Symbolicorum perscribuntur, omnigeno potius ac prudenti silentio prætereundas, quam operosiore confutatione dignandas eas censent ; ossa tantum crabronibus objici, & in propria subinde viscera sæviri, causant. Sunt enim hi fere, qui ita sentiunt, ex eorum numero, de quibus supra §. 1. scripsimus, qui Beatos Majores melius consulere Ecclesiæ Lutheranæ potuisse arbitrantur, si nullam plane Augustanam Confessionem, nullumque Librum Symbolicum posteritati reliquissent ; quandoquidem ex fuerint faces, quibus tota pene incensa conflagravit Germania. O nos vero indignos Majoribus tam pie orthodoxis, qui sacrum ac nobile illorum *λεῖψον* fide, dexteritate & gratitudine *laudationi non asservemus !* Nullum illi dogma horum Librorum, sive ab hæreticis, sive a schismaticis temeratum, indefensum nobis tradidere ; & nos traditionibus Pontificiorum hæc ipsorum dogmata, quæ Verbo Dei per omnia consona profiteri dece-

bat, equiparamus. O nos indignos posteritate pie orthodoxia, & tam pretiosas Ecclesiarum nostrarum margaritas, Majorumque, nobis haud paulo sapientiorum ac religiosiorum, ex limpido Dei Verbo haustas *παρὰ τὰς ταβύλας* (publicas ac solennes Confessionum tabulas dico) tot undiquaque fere obeliscis notatas, ac per tam foedas undique maculas & stricturas (siquidem malum e quolibet defectu nascitur) nobis tacentibus, & ad summum oblique consentientibus, nitore suo haud parum orbatas, illi reliquerimus! Tacuitne ergo Chemnitius? Tacueruntne Hunnius, Gerhardus, Menzerus? Tacueruntne Carpzovius, Dürrius alii ve complures, quando Confessionibus Ecclesiarum nostrarum stigmata & notas tam putidas, tamque infames inuri, suis jam temporibus intellexere? Profecto, si vel nos tacuerimus, ex ore tamen infantium lactentiumque DEUS sibi laudem parabit. Christus ipse venit, ut ignem in terra accenderet. Si ergo malitia & perversitas hominum ipsummet Evangelium convertit in incendium; ergone satius fuerat, ipsummet Evangelium omittere, aut recens evulgatum abolere? Nec in propria certe saeviunt viscera, qui eadem ipsa viscera, miasmata laborantia, jam lenioribus, jam acerbioribus pharmacis curare annituntur. Nisi vero imputationes enormiorum horum errorum forent tam notoriae, tam mendaces & scandalosae; prudenti silentio fuisse locum, ultro concedo. At enim cum Censores, editis tot monumentis publicis, hos involaverint Libros, & quasi re bene gesta, sua toties impropria defensitatum iverint; ex universali certe omnium aliorum silentio nihil, nisi errantium in perversitate sua obfirmatio, emanare potuisset. Ecqui insuper muneris elenctici, quod nobis aequae, ac didascalicum, praedevoticum, epanorthoticum atque consolatorium tam severe a Deo commendatum est, satagemus? Lubens equidem concessero, libertatem conscientiarum ab excommunicatoribus quibusdam intempestivis hic violari; nihilo tamen secius divinae veritati consentaneum est, eos, qui non manent in sanis sermonibus D. N. J. C. neque in ea, quae secundum pietatem est, doctrina, *ἐπισημίζεσθαι* oportere. Hic frustraneum est, turbatoribus Israël annumerate eos, qui turbarum & rixarum, ab ejusmodi

καὶ τοῦτο

κρυνοφανίαις generatarum, autoribus sese decenter opponunt. Nec dubito certe, quin Deus suam causam porro tuiturus, fideles veritatis parastatas excitaturus, & , advigilante *ἀκοιμήτῳ* Providentiæ suæ *ὀφθαλμῷ*, gravem hanc Ecclesiæ orthodoxæ tentationem ita moderaturus atque directurus sit, ut hæc offuciz dogmaticæ, ac phrasæ offendiculi plenæ, perinde, ac plures aliz, ante nostra tempora coortæ, quarum suos ad extremum defensores puduit, hæc præterea verba inania, & svavia vigilantium somnia, nebularum instar, præ fulgore veritatis tandem fatiscant, expirent atque evanescant; & ut alii quoque *οἱ φιλόσοφοι* tum demum audiantur, si quid sani dicant; si quid sinistri, non item.

§. XXII. Objicis, libertati conscientiarum, quicquid etiam dicatur, manum injici ac vim inferri, si ad præscripta Magistratus vel credere, vel suam profiteri fidem homo teneatur; id autem fieri quam apertissime, si animus ad ejusmodi Confessiones amplectendas approbandasque, sub amittendi muneris periculo, astringatur; quinimo ad manifestam Librorum Symbolicorum apotheosin hominem Christianum, qui in libertate per Christum asserta stare debebat, non sine tortura spirituali, cujusmodi juramentum assertorium ac promissorium est, hoc pacto adigi solere. Equidem cum sub multifidæ hujus objectionis involucro plura contineri momenta videam; responsum quoque meum, quo diluam eandem, ad plura revocabo membra. Nam 1) inter veram libertatem & licentiam plurimum interest. Illa substat legibus; hæc est exlex. Illa bono ordini amicas jungit manus; hæc subterfugit ordinem; & meram subinde prurit *ἀταξίαν*. Jam si veram libertatem conscientiarum intelligis, ei omnino non adversantur hujusmodi constitutiones pii atque Christiani Magistratus. Quin stabiliunt magis eam & confirmant; cum vaga licentia quidvis credendi ac statuendi, profitendi ac docendi, sive id consonum Verbo Dei fuerit, sive non fuerit, eandem depravet, perdat, ac nihil, nisi operimentum malitiæ evadat. Aliud itaque coactio; aliud elenchus, svasio, informatio est. Illa cum vera libertate stare non potest; hæc autem optime potest. 2) Fallacia non-causæ fina-



lis, ut causæ, a sic argumentantibus admittitur. Siquidem finis juramenti religionis non est, astringere jurantem, ut fidem ipsam probet ex Augustana Confessione, reliquisve Libris Symbolicis; aut ut illos æquiparet sacris Literis; aut ut Adversarios inde errorum convincat; aut ut testetur, se Confessiones illas, sive conformes sint Sacris Literis, sive minus, habere pro orthodoxis (hoc demum esset laqueum injicere conscientiæ; hæc tortura spiritualis foret) verum ut testetur ac confirmet, quod eas, probe antea lectas & perlectas, in conscientia pro orthodoxis habeat, earumque convenientiam cum Verbo Dei agnoscat; quodque adeo studium idem sentiendi & loquendi juxta mandatum divinum 1. Cor. I, 10. sectari, unitatem spiritus in vinculo pacis tueri Eph IV. 3. & vagam quidvis publice docendi, profitendi & exercendi libidinem atque licentiam devitare velit. *Vid. B. Scherzer. System. p. 727.* Hinc nulla spiritualis tortura, nulla coactio in foro conscientiæ interno metuenda. Siquidem 1) Magistratus non suo tantum, verum etiam reliquorum duorum statuum hierarchicorum, Ecclesiastici & Oeconomici, adeoque totius Ecclesiæ nomine hoc juramentum exigit. Huic competit ipsamet adjurandi potestas, sive ipsum jus; illi vero juris hujus administratio & exercitium. Quod qui negat, is etiam neget, oportet, Moysen hanc adjurandi potestatem exercuisse, cum sub religioso jurejurando Israëlitas eo deductum iret, ut transirent in fœdus Domini Deut. XXIX, 12. aut Assam, Regem Judæ, 2. Par. XV, 8, 9, 12, 14, 15. aut Joasum Regem Judæ XXIII, 16. 2. Reg. XI, 4, 17. aut Nehemiam Ducem Neh. X, 29. qui, populum adjurando, paria fecerunt. Neget, oportet, Magistratui obsequium competere etiam propter conscientiam Rom. XIII, 5. eumque curam pietatis ex voto nostro agere debere 1. Tim. II, 2. Ps. XXIV, 7. Es. XLIX, 23. *Conf. B. D. Musæus Tr. de Libert. Philosoph. p. 87. & seqq.* ubi operose adstruit, summas Potestates habere quodammodo imperium in ipsos actus intellectus elicitos & internos, non quidem directum & immediatum, sed indirectum & mediatum, in quantum scilicet imperium habent in mediorum usum, quibus ad eos eliciendos hominum animi indu-

indu-

inducuntur, eumque sub comminatione poenarum exercere possunt. Inter hæc actuum elicitorum media, juxta accuratum illum Theologum, potissimum est recta & divinæ revelationi congrua in capitibus doctrinæ & religionis Christianæ institutio; quæ domi cœpta Deut. VI, 7. Eph. VI, 4. Col. III, 16. in scholis & Ecclesiæ conventibus publicis continuatur Eph. IV, 11. Tit. I, 9, 13. II, 15. 2. Tim. III, 16. a qua proximum Magistratus Christiani medium est falsarum doctrinarum refutatio, quam ille per Ministros Verbi, quos constituit & alit, expedit, Tit. I, 9. Concludit ergo Musæus ita: Quodsi Doctores falsi irrepant, qui doctrinas erroneas spargere, easque simpliciorum animis instillare ausint, summarum potestatum est, eos prohibere, & si in proposito pergant, poenis cœercere, vel etiam ex ditionibus depellere, juxta admonitionem Paulinam Tit. III, 10. 7) Quodsi apotheosin, nescio quam, obvertas, ratus, deificari hæc adjuratione Libros Symbolicos, aut Scriptis Propheticis & Apostolicis ad summum æquiparari; equidem repero, id nullo jure ex juramento concludi aut inferri debuisse; siquidem haudquaquam juratur in eos, tanquam in normam normantem, neque ob fines, num. 2) jamjam remotos. *Videsis Disp. meam de fug. Xenophobia p. 10, 11.* Præterea nec sequitur: Jurant subditi in statuta Principis, E. deificant, aut statutis divinis æquiparant statuta Principis. Quicquid hic responderint secus sentientes, illud sibi responsum habento. 7) Periculum amittendi muneris, si detrectetur aut violetur juramentum, nullam conscientix coactionem probat. Sicut enim is, qui statuta hujus civitatis observare non vult, libere sese abdicat iisdem, & ad aliam commigrat civitatem, sine ulla conscientix tortura: Ita, si quis in conscientia sua sese aliter putat convictum, liberum illi est hoc profiteri; & potest alio commigrare, ajente B. D. Schertz. l. c. Quod sicubi exoriantur dubia, ex quibus se quis non plane expedire possit, tum eam potius sententiam sequi tenetur, quam Scripturæ conformem judicat Ecclesia, quam suo, quam proprio fidere judicio, menti que & sensui Ecclesiæ illud præponere, ajente B. D. Musæo l. c. Quod consilium si dextre applicabitur, nã! prætensa conscientix libertas ejusdem conscientix, vincibiliter errantis, cauterium haudquaquam evadet,

CORL

✻ ✻ ✻

COROLLARIA.

I.

Verbo Dei & Ecclesiæ Lutheranæ - Evange-
licæ minus conciliabile est dogma Ec-
clesiæ Anglicanæ, quod in Confessione anno
1683. Londini edita art. 28. his expressum ver-
bis legitur : *Medium, quo corpus Christi acci-
pitur & manducatur in Cæna, fides est.* Conf.
etiam *Corpus & Syntagma Genevense Confessio-
num*, quæ primitus anno 1562. editæ post-
modum anno 1612. exhibitæ fuerunt.

II.

Ibidem in articuli 29. epigrapha exertis
verbis definitur, *impios corpus Christi non man-
ducare.* Ecqui autem hoc componi queat cum
iis, quæ ex Verbo Dei credunt, docent atque
confitentur Lutherani, itidem non reperio.

III.

*Consilium Dei, quo decrevit liberare ele-
ctos*, art. 17. vocatur *occultum*, cum tamen il-
lud hominibus in utroque Testamento a Deo
revelatum sit. Gen. III, 15. Hof. XIII, 14. Act.
XX, 27. Matth. I, 21. Luc. I, 68. 1. Cor. I, 30,
1. Cor. III, 8.

IV. Con-



IV.

Consilium Gamalielis Act. V, 34 --- 39.
 sinistre a quibusdam eo pertrahitur, ut elen-
 chum adversus extravagantes Novatores atque
 Heterodoxos omnem improbent. Quasi vero
 illi, qui a Deo ad munus elencticum vocati
 sunt, quando istud decenter administrant,
 θεομάχοι forent, aut armis & vi corporali contra
 feros DEI depugnarent. De talibus enim,
 iisque solis, intelligendus erat Gamaliel.

V.

Articulus 7. Aug. Conf. nullum meritis est
 obeliscum, eo, quod verbis initialibus de una
 sancta Ecclesia, perpetuo mansura, non inter-
 feruerit vocabulum *invisibilis*. Accuratus ni-
 mirum ille describit α) ipsam Ecclesiae EXISTEN-
 TIAM, qualis de jure est, & prout accidens tam
 visibilitatis, quam invisibilitatis recipit, cum do-
 cet, QUOD UNA SANCTA ECCLESIA PERPETUO MANSURA
 SIT: β) ejusdem ESSENTIAM, dum vocat *congrega-
 tionem sanctorum, in qua Evangelium recte doce-
 tur, & recte administrantur Sacramenta*. Quæ
 definitio simul Ecclesiae veræ notas elegantissi-
 me complectitur.

E

I. OUX



I.

Οὐκ εὐσεβιστῆς εὐχεαί ,
 Ἄλλ' εὐσεβῆς ἔμεν , ΦΙΛΕ
 ΓΕΡΡΑΡΔΕ , πατρὸς Φαιδίμου
 Ἀμεταμέλητον ὦ θάλθη ,
 Ἐμῶν χολάων σιώθρονε
 Ἀκρομάτων τε ζύμμορε.
 Σωήδομά σοι δείγματθη
 Τῶγ' εἵνεκεν , κ' λίσσομα
 Πορρωτέρω τείν χάριν
 Θεηλάτοιο Πνύματθη .

Noti in Ecclesia nominis DN. RESPON-
DENTI suo , Venerabilis quondam
Parentis haud degeneri Filio, sic gra-
tulabatur de specimine praesenti

PRÆSES.

II.

Μῶμον ἀναφθῆνά τε κακορραφίησι νόοιο ,
 Μαψιδίως τε βίβλοισ , ταῖς θέσκελα δόγματ' ἐχέσαις :
 Λυγρόν τοι , τῶτ' αἰεὶ ἐνὶ σήθεσι φίλον κῆρ
 Τείρει , ἐπεὶ σε μάλιτα καθίκετο πένθηθη ἄλαστον ,
 Τῆσι θύρην δ' ἐκλεισας ἀταθαλίησι κορώνη
 Ἐνθείω , ὅππ' κ' κληῖ δ' ἐτάνωσεν ἱμάνη .

Τιμῆς κ' φιλίας ἕνεκα
 f.

ANTONIUS SAMUEL LUDOVICUS,
 Öhringâ - Hohenloicus.

III. Dec



III.

Er harte Bücher = Schweiß / das emsige
Bemühen
bricht bey der flugen Welt mit grossen
Ruhm hervor:

Der Höchste lasse nur Sein Glück noch ferner
blühen /
und heb Ihn nach Verdienst vor andern
hoch empor:

Weil seine Wissenschaft / und Künsten / die Er
heget /
sind jederman bekandt durch die gelehrte
Schrift /
die Er nach aller Wunsch bey uns hat abge-
leget /
worinnen keiner dann Ihn leichtlich ü-
bertrifft.

Ita Nobilissimo atque Doctissimo Domino
Respondenti, Amico, Contubernali,
& Commensali suo per dilecto, de
egregio studiorum specimine gra-
tulatur

CHRISTOPH. PHILIPP. LUDOVICUS
a Leibelfing, Eques Franconicus.

E 2

IV. Quan-



IV.

Quanta sit, ô Peramande! Tibi vis docta loquendi,
Et quantum valeas Artibus in Sophicis;
Jam constat multis, pariter dum pluribus adfers
Thejologi Specimen, nec Rationis opus.
Unde, nec invideo, Te præstas, Numine grato,
Talem, quem merito patria chara cupit:
Illi gratus eris, quæ præmia necit amœna,
quo studiis tribuat pingua pensa Tuis.
Verum, quod superest, ut sic florescere pergas,
apprecor, Et meritis gratulor hisce Tuis.
Denique quod poterit rerum prodesse, benigne
suppeditet summi Gratia larga DEI.

Hoc monumentum ponebat Exoptatissimo
quondam suo Homocapno & Contu-
bernali in perpetuam Sui & Amicitia
cultæ memoriam

CHRISTOPH. AUG. LÆMMERMANNUS,
Jurium Stud.



Coll. diss. A. 222, misc. 9